



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VII. Per quam intellectus operationem fiat ens rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SECTIO VLTIMA.

Argumenta dissoluntur.

59 **A**D primum primæ sententiæ concedo maiorem, & nego minorem: ad probationem minoris nego maiorem; voluntas enim non ordinat, sed potius tendit in id quod supponit ordinatum ab intellectu.

60 Ad secundum concedo maiorem & nego minorem propter eandem rationem; voluntas enim non facit impossibile componendo: sed id, quod supponitur compositum ab intellectu, vel identitatum, amat v. g. voluntas Luciferi amavit se esse Deum, non factum à se, nec fictum: sed fictum ab intellectu, intellectus enim fingebat se esse Deum, & id amavit voluntas.

61 Ad tertium concedo, voluntatem habere efficaciam intra spheram proprii actus; nego tamen habere illam extra spheram propriam; unde licet voluntas sit efficax efficacia sibi proportionata, in hoc nimirum quod amet, vel non amet, nihilominus tamen non est efficax, vt amet incognitum aut fingat aliquid, nam fingere dicit repræsentare de nouo, ac si esset, quod non est; cum autem voluntas non sit repræsentatiua: sed solum prolepticiua illius quod ab altera repræsentatur, inde euenit quod licet habeat efficaciam volendi, vel nolendi circa suum obiectum, non habeat illam in fingendo ens rationis.

Ad primum secundæ sententiæ nego maiorem; 62 nam in sententiâ aduersariorum imaginatio facit ens rationis, & nihilominus non est reflexiua, cum ad reflexionem petant ipsi spiritualitatem in potentia, quam nullo modo habet imaginatio: ergo nullius momenti est reflexio in potentia ad producendum ens rationis necessario.

Dicunt aduersarij, aliud reperi in intellectu ad producendum ens rationis, nimirum quod id, quod fingitur ab intellectu extra intellectum non habet esse; color autem extra visum habet esse; quia est in intellectu obiectiue: sed hoc est finisolum, nam in ente rationis solum requiritur, vt habeat tantum esse obiectiuium, & nullo modo reale, vt ens rationis fictum ab intellectu creato cognoscitur ab intellectu diuino, vt ipsi aduersarij asserunt, ac proinde habet esse obiectiuium in illo intellectu; quare non repugnat enti rationis esse in multis potentiis obiectiue, sub diuersis rationibus, dummodo extra potentias illas non sit realiter, nam certum est ens rationis posse voluntati proponi ab intellectu per modum boni; tunc autem existet obiectiue in voluntate, neque tamen ideo definit esse ens rationis. Deinde existendo in pluribus potentiis nullam maiorem realitatem acquireret, sed æquè haberet purum esse obiectiuium, & nullo modo reale: ac si in vna tantum potentia existeret; quare non repugnat enti rationis extra intellectum esse in aliis potentiis; sed tantum repugnat esse extra potentias in rebus, si enim sit in aliis potentiis tale prorsus, & tantum esse habebit in illis; quale in intellectu, nempe esse tantum obiectiuium.

64 Ad minorem primi argumenti respondetur, negando illam; nam voluntas etiam est reflexiua, cum possit amare suum amorem, & rem propterea se amatum: ex quibus omnibus colligi-

tur, nihil interesse ad productionem entis rationis, quod potentia sit, vel non sit reflexiua, cum voluntas sit reflexiua, & non faciat ens rationis, & imaginatio licet non sit reflexiua, faciat illud.

Item demus, quod reflexio esset necessaria; 65 visus habet hanc reflexionem, quæ postulat ab aduersariis; quæ improprie reflexio est, & consistit in hoc, quod sit cognitio, quæ aliquomodo supponit aliam cognitionem entis positiui, ad cuius proportionem, seu imitationem efformatur ens rationis: sed visus habet cognitionem coloris positiui, & realis, ad cuius similitudinem concipit quod non est color, ac si esset talis: ergo habet sufficientem reflexionem ad ens rationis.

Ad probationem maioris nego, quod omnia 66 entia rationis sint denominationes, quæ tribuntur rebus iam ante cognitum, hoc fortasse habent relationes rationis.

Ad secundum respondetur per modum entis vt 67 sic, nego; per modum talis entis, vt coloris, relationis, qualitatibus &c. vt iam diximus; cum autem potentia visiva repræsentet quod non est color, ac si esset color, inde est &c.

Ad tertium nego maiorem seu antecedens. Ad 68 probationem antecedentis distinguo, coniungere, nego; componere, id est affirmare, & attribuire, concedo; cum autem imaginatio, licet non componat, id est affirmet, componit, id est coniungit, vel cognoscit vt coniuncta, inde est quod faciat ens rationis; visus enim non concipit colorem abstractum: sed potius vnium montibus, seu calo.

Alij dicunt, quod ad formandum ens ratio- 69 nis, est necesse quod potentia concipiat quod minimè est ens sub ratione entis formaliter vt ens est, negamus enim hoc; nam dum intellectus fingit relationem in absolutis non cognoscit quod minimè est ens, nec supponit rationem entis, vt ens vt sic: sed concipit quod vt tale ens supponitur, scilicet absolutum, vt aliud ens particulare, scilicet, vt relatiuum; quod habent omnes potentie cognoscentes, nam visus cognoscit lucem, & colorem.

QVÆSTIO VII.

Per quam intellectus operationem fiat ens rationis.

SECTIO I.

Sententia aduersaria ponitur.

PRIMA sententia asserit, relationem rationis fieri per propriam reflexionem; cetera autem necessario fieri per operationem intellectus, saltem lato modo reflexam, & comparatiuam; hæc autem vocatur reflexa, & comparatiua, quia semper cognitio, quæ sit ens rationis, præsupponit aliam, vt diximus quæst. præcedenti: sic P. Suar. tract. de ente rationis, & alij multi.

Prima pars sententiæ sic probatur. Ille est actus 70 proprius

Qu. VII. Per quam intellectus operat &c. 33

proprie reflexus, qui habet pro obiecto alium actum eiusdem potentiae ut intellectus &c. sed cognitio, qua fit ens rationis, necessario habet pro obiecto aliam cognitionem: ergo. Probatur minor, quia denominatio cogniti est relatio rationis: sed illa cognitio ex vi cuius fit illa relatio rationis necessario habet pro obiecto ipsam cognitionem, cum terminetur ad illud esse cognitum: ergo.

3. Secunda pars sic probatur: notitia improprie reflexa est illa, quae supponit aliam quomodocunque: sed omnis efformatio entis rationis supponit necessario alteram cognitionem: ergo. Probatur minor, quia vel ens rationis efformatur per simplicem apprehensionem, vel per iudicium, vel per discursum; si per simplicem apprehensionem, necessario supponit duas simplices apprehensiones, quae terminantur ad extrema, quorum unum concipitur ut relatum in ordine ad aliud per superuenientem cognitionem reflexam, & sic de ceteris.

4. Secundo, quia quando concipio qualitatem rationis in priuatione, vel negatione; haec cognitio supponit cognitionem qualitatis realis, ad cuius similitudinem concipio qualitatem existentem in obiecto: ergo.

5. Secunda sententia est Patris Hurt. in met. disp. 9. sect. 1. n. 15. & 17. & probatur his verbis, per apprehensionem iudicativam non debere dici fieri ens rationis absolute, quia licet absolute sit obiectivum in intellectu tantum, quia obiectivum cognoscitur, & non est alibi, tamen ly est, videtur significare affirmationem, & negationem, nam sicut esse a parte rei significat habere determinatam existentiam, sublata indifferentia ad illam; apprehensio autem nullam partem determinet: ergo ita non dicimus scire aut errare, nisi quod affirmamus, aut negamus; quando vero iudicamus, tunc dicimus rem in mente habere apud nostros. *Para mi es esto assi*, ad haec moreor quia rationis ens nescio quo pacto ens reale imitatur.

6. Paulo ante superius sic ait, in apprehensione iudicativa minime contingit, dari ens rationis, postea autem *sezione 3. num. 32.* sic ait. Tandem Pater Vazq. tom. 1. in 1. p. disp. 76. n. 6. ait, omnia entia rationis fieri posse per apprehensionem, excepta relatione, verum etiam simplex apprehensio potest facere relationem rationis, quia apprehensio praecedit iudicium de eodem obiecto.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur, & probatur.

7. Prima conclusio: cognitio, per quam fiunt alia entia rationis praeter relationem non est necessario, nec proprie, nec improprie reflexa, & probatur.

8. Primo, illa tantum cognitio necessaria est ad efformationem entis rationis, quae cognoscitur, ut ens quod non est ens: sed haec cognitio non est proprie, nec improprie necessario reflexa: ergo. Maior evidens est, & supra satis explicata *quest. 1.* Minor sic probatur. Haec cognitio est communis intellectui cum sensibus, ut cum vi sic, imaginatione &c. ergo necessario non est

improprie, aut proprie reflexa. Consequentia sic probatur. Per vos sensus nec proprie, nec improprie est reflexivus, & ideo in vltra sententia non potest facere aliquid ens rationis, etiam illud, quod improprie reflexionem petit: ergo. Antecedens probatur, quia tunc est aliqua cognitio communis intellectui &c. quando eodem modo cognoscitur sensus, ac intellectus v. g. ideo simplex apprehensio non est propria intellectus, quia sine iudicio cognoscitur, etiam sensus: sed sensus ut latissime probatum manet cognoscit quod non est, ac si esset: ergo hic modus cognoscendi communis est sensibus, & intellectui.

Secundo probatur, si ex eo quod unus actus 9 potentiae sequatur alterum eiusdem potentiae, dicitur reflexus, saltem lato modo: ergo omnes potentiae appetitivae & sensus sunt lato modo reflexivi: sed hoc est contra vos asserentes nullam potentiam corpoream esse nec proprie, nec improprie reflexivam: ergo. Haec minor est propria eorum sententia. Illa consequentia sic probatur de appetitu sensitivo in brutis, quia leo ex eo quod amat, seu appetit escam, appetit cursum & motum ad aucupanda, seu venanda, tam terrestria, quam volatilia si potest animalia, & in ovis actus, quo timet lupum sequitur actum, quo vult fugere & in imaginatione ex actu, quo cognoscit lupum, sequitur actus, quo cognoscitur disconvenientia: sed in his casibus unus actus sequitur alterum eiusdem potentiae: ergo si propter hanc consequentiam hoc contingit, omnes istae potentiae brutorum erunt reflexae.

Dicunt adversarii in imaginatione dari, saltem 10 improprie reflexionem: atqui non solum difficultatem: sed quasi oneri succumbunt.

Contra, imaginatio non solum poterit facere 11 ens rationis sine fundamento: sed cum fundamento, hoc enim solum requiritur in intellectu, ut faciat ens rationis cum fundamento: ergo Rubius, qui hoc negaverat male concedit illud, ex quo mediate sequitur oppositum suae conclusioni.

Secunda conclusio: falsum est dicere ens rationis logicum, & relationem rationis potere 12 actum proprie reflexum & probatur.

Primo ad faciendum ens rationis relationum ut 13 in omnipotentia Dei, vel in Verbo divino, quatenus creaturas repraesentat, sufficit ut connexionem omnipotentiae concipiam; ac si esset respectus, & esse eminentissimum Verbi, ut relatum ad ipsas per relationem praedicamentalem, vel transcendentalem: sed in tota efformatione non datur actus proprie reflexus: ergo non est necessarius. Maior clara est, quia illa esset relatio, & non realis: ergo rationis, cum totum illius esse relationis esset apparatus, & pure obiectivum, cum realiter neque sit actu, neque potentia. Minor probatur, actus proprie reflexus ut definitur ab adversariis est qui habet pro obiecto alium actum intellectus, quem supponit: sed in efformatione illius relationis rationis actus qui efformat relationem rationis, non habet pro obiecto actum primum intellectus: ergo. Minor probatur, quia in illa efformatione illa cognitio habet pro obiecto connexionem, & relationem, & nihil aliud, cum nihil aliud per illam repraesentetur: ergo non habet pro obiecto cognitionem, nec in concreto, nec in abstracto, quia in cognitione connexionis, ac si esset relatio minime reperitur repraesentatio cognitionis

gnitionis: sed tantum connexionis, & relationis: ergo falsum est dicere ad efformationem relationis rationis requiri cognitionem reflexam.

- 14 Item, quia possunt etiam simplici ratione apprehendere relationem vnius ad aliud, vbi non est talis relatio, vt in dexteritate parietis, vbi tantum est denominatio extrinseca, & hoc per modum simplicis intuitus sine aliqua reflexione ad alteram cognitionem.

- 15 Secundo probatur de ente rationis logico, de vniuersali nimirum efformatio vniuersalis relationis, se habet huiusmodi prius cognoscitur natura abstracta à suis conditionibus indiuiduantibus, & postea illa natura sic præcisa extrinsecè ab intellectu concipitur, vt relata: sed hic non datur reflexio propriè: ergo. Probatur minor, quia secundus actus fingens relationem non habet pro obiecto primam cognitionem abstractentem: sed tantum habet pro obiecto naturam, cui tribuitur illa relatio per illum actum: sed non tribuitur naturæ, vt sic cognita reduplicatiuæ: sed naturæ, quæ cognoscitur specificatiuæ: ergo. Probatur minor, nam si secunda cognitio haberet pro obiecto primam cognosceret primam: sed non est necessum hoc: sed sufficit, quod cognoscat naturam, cui attribuitur relatio: ergo; in illa enim cognitione confingente potentiam vniuersalitatis non representatur cognitio præciscens naturam, alias per hanc secundam cognosceretur præcisci animal ab indiuiduatione, & à se cognosci illam naturam sine indiuiduatione, quod est falsum, nam in illa secunda cognitione solum cognoscitur quod clarè respicendat: sed non respicendat cognitio prima: sed tantum natura, & potentia vniuersalitatis: ergo.

- 16 Dices non posse secundam cognitionem dare relationem vniuersalitatis: nisi cognoscat illam naturam esse cognitam & præcisam à se.

- 17 Contra, quia solum sufficit quod intellectus cognoscat per primam cognitionem, nam vt sic præcisam naturam per secundam, non est necesse quod cognoscat se abstraxisse illam naturam: sed sufficit, vt concipiat illam, vt relata.

- 18 Confirmatur, quia dum præciscitur illa natura attribuitur illi quædam entitas & vnitas, quam non habet, & est efformatio entis rationis logici: sed ibi non cognoscitur alia præcedens cognitio cum illa sit prima: ergo.

- 19 Vigetur, quia cognitio non est causa formalis constituens naturam in esse vniuersalis: sed solum est causa efficiens, quasi producens illam in esse vniuersalis: sed quando cognoscitur aliquis effectus, non est necesse, vt concipiat causa efficiens essentialiter, nam potest concipi id quod alias effectus est, & non reduplicatiuè vt effectus v. g. quando cognosco hominem, non est necesse, vt cognoscam vt effectum: sed sufficit vt cognoscam essentiam illius vel naturam: ergo si illa natura efficienter tantum producit vt vniuersalis, non est necesse vt cognoscatur cognitio per quam, quasi producit in illo esse; vnde hæc secunda cognitio non est reflexiua, immo licet necessario sit cognoscenda vt effectus, directè tunc cognosceretur natura indirectè effectio illius, id est, cognitio præciscens: sed vt sit propriè reflexio directè debet cognosci cognitio, & non indirectè: ergo illa cognitio, quæ non directè: sed indire-

ctè cognoscit illam, non est propriè reflexa.

Tota ergo falsitas opinionis contrariæ inde 10
provenit, quod non aduerterit varia fundamenta relationis rationis, & quia solum cogitabant aduersari, denominationem cogniti posse concipi, vt relationem, quæ necessario petit cognitionem reflexam, nam omnia absoluta possunt cum relatione rationis concipi, & omnes denominationes extrinsecè, v. g. vt dextrum, amatum, visum, imaginatum &c. Item protegens regem, & imperatorem, creatorem, dominum, maritum, uxorem, quæ omnes denominationes extrinsecè, vt relationes concipiuntur sine eo, quod cognitio fingens illas præsupponat, & habeat pro obiecto alium actum intellectus quod solum contingit in denominatione cogniti &c. ergo male dicitur ab aduersariis omnes relationes rationis fieri per actum reflexum.

Tertia conclusio: per simplicem apprehensionem 21
fit ens rationis, quia in sententia Patris Hurtado, & in omnium sententia per illum actum producit, aut fit ens rationis, per quem cognoscitur aut concipitur res aliter ac est: sed per simplicem apprehensionem cognoscitur res aliter, ac est: ergo per simplicem apprehensionem producit ens rationis. Maior est euident, ideo enim, quando concipio naturam relata ad inferiora, facio ens rationis, quia cognosco naturam, quæ non habet relationem cum relatione, id est naturam aliter ac est in se, &c. Minor sic probatur, quia simplex apprehensio est defectibilis, & imperfecta, vt iudicium, & discursus, sed propter suam propriam defectibilitatem, & imperfectiorem cognoscunt aliter obiectum, ac est in se iudicium, & discursus; & quia sic concipiunt illud faciunt ens rationis: ergo similiter simplex apprehensio propter propriam imperfectiorem, & defectibilitatem cognoscit rem aliter ac est, & propter hanc cognitionem facit ens rationis sine dubio, quod à posteriori sic probatur; Nam Barbarus, qui concipit magnitudinem solis vt rotam curus sine discursu concipit, & sine iudicio cognoscit rem aliter ac est, & demon, dum fallitur in sua cognitione vel circa futuras cognitiones veras, vel circa mysteria fidei, vel res supernaturales sine iudicio aut discursu cognoscit rem aliter ac est: ergo tunc per simplicem apprehensionem faciunt ens rationis.

Confirmatur. Quia ideo in sententia Hurtado 21
non fit ens rationis per simplicem apprehensionem, quia in illa cognitione non datur falsitas: sed hoc est falsum nimirum dicere non dari falsitatem in simplici apprehensione: ergo in simplici apprehensione producit, & fit ens rationis. Hæc minor latius demonstranda in libris de anima, sic probatur; quia nihil aliud est esse falsam cognitionem nisi non habere veritatem ex difformitate cum obiecto: sed simplex apprehensio cognoscit rem aliter ac est, & cognoscere rem aliter ac est, est non conformari cum obiecto: ergo simplex apprehensio facit ens rationis, & in illa datur falsitas formalis. Explicatur, quia in iudicio datur falsitas, quia iudicium affirmat rem, & cognoscit iudicatiuè rem aliter ac est, & sic affirmando non conformatur cum suo obiecto, sed similiter simplex apprehensio cognoscit rem aliter ac est, & sic cognoscendo non conformatur: ergo fallitur. Explicatur.

Nam potentia visiva habet simplicem apprehensionem sicut intellectus: sed simplex apprehensio

Quæst. VII. Per quam intellectus, &c. 35

hensio visus, quia creata imperfecta est, cognoscit rem aliter ac est in se, & quia sic cognoscit facit ens rationis: ergo simplex apprehensio intellectus, quæ imperfecta est, cognoscet aliquando rem aliter ac est, & sic cognoscendo faciet sine dubio ens rationis.

24 Confirmatur, quia ad cognoscendum rem aliter ac est in se, non est necessaria affirmatio, ac negatio, sed solum quod talis cognitio sit defectibilis, quia non est increata, & prima regula: sed simplex apprehensio est creata imperfecta, & defectibilis: ergo sine affirmatione, & negatione, cum sine illa cognoscit rem aliter ac est. Explicatur iudicium, & discursus conveniunt in esse falsæ cognitionis: sed discursus, & iudicium non conveniunt, nisi in ratione cognitionis realiter ac est in se: ergo simplex apprehensio, quæ etiam est cognitio rei aliter ac est in se, conveniet cum illis in ratione falsæ cognitionis: sed falsa solum cognitio sufficit ad faciendum ens rationis: ergo simplex apprehensio potest facere illud, nam ideo discursus, & iudicium in sententia Hurtado facit, non quia iudicat: sed quia falso iudicat, & falso cognoscit, cum cognoscat aliter ac est in se, & etiam fictio coloris cærulei, quia aliter ac est in se cognoscit: sed etiam simplex apprehensio sic se habet in intellectu: ergo illa est falsa cognitio: ergo illa facit ens rationis.

25 Secundo, quia in nullo ente rationis efformando intercedit necessarium mendacium, & si detur advertentia, sed non est alia causa huius, nisi quia non intercedit affirmatio, vel negatio: ergo sine affirmatione, & negatione per simplicem apprehensionem efformatur ens rationis. Major clara est præcipue inter homines veritatem intactam ilibatamque servantes, nemo enim probatur vitæ hoc modo entia rationis efficeret, si necessum esset ut mendacium efformaret. Minor probatur, quia ubi de obiecto, v. g. de privatione affirmaretur quod esset qualitas positiva præcipue cum advertentia, & in hominibus doctis daretur mendacium, vel ibi negaretur de illa, quod non esset carentia: ergo ratio totalis, quare non intercedat mendacium in ordinario modo fabricandi ens rationis, apud peritos dum illud efficiunt cum advertentia plena, est quia non datur affirmatio illius, quod efficitur, quare si aliquis diceret ita contingere à parte rei, quod confingitur per rationem, sine dubio efficeretur mendacium.

26 Et si dicas, hic non dari affirmationem entis rationis, dum dico hircoceruus non est relatio: sed potius negatio, & nihilominus non dari mendacium: ergo etiam si detur iudicium de ente rationis, non est necesse ut detur mendacium etiam si tale iudicium fingat, & faciat ens rationis, ut in supradicto iudicio negante clare patet, quod licet fingat, non induit rationem mendacii.

27 Respondeo ibi per iudicium illud non efformari ens rationis, nisi præsupponi ut factum per simplicem apprehensionem, quia simplex apprehensio finxit illum hircoceruum, & per illam fuit conceptus ut unus, & distinctus à quolibet alio, & sic hic actus supradictus iudicii non est practicus, sed mere speculativus; sicut non est practicus, hic leo est species, ubi non efformatur, sed affirmatur, ut efformata species.

28 Et si dicas hic fieri ens rationis, qualitas est
I. P. Tom. II.

substantia, intellectus est anima. Primo dico ibi non fieri, sed affirmari quod factum est per simplicem apprehensionem.

Secundo si iudicetur aliter, ac concepitur in simplici apprehensione, tunc autem intercedere mendacium in homine, nimirum docto, cognoscente substantiam non esse qualitatem, in illo autem, qui non cognoscit recte per apprehensionem sed apprehendit, sicut iudicat, tunc autem non fit per iudicium illud ens rationis, sed factum per simplicem apprehensionem conservat iudicium, v. g. si aliquis catholicus, qui recte callit, Deum esse spiritum, sic iudicaret; Deus verè & realiter est lux, est ignis; & mendacium esset, & hæresis; & si barbarus diceret, Deus est ignis, non diceret mendacium, quia mentiri est contra mentem ire: sed primus in hoc iudicio it contra mentem, id est contra cognitum per mentem media cognitione prima: ergo primus mendacium profert, barbarus autem non mentitur, quia non it contra mentem, quod amplius constabit in sequenti conclusione.

Ultimo ad hominem contra Hurt. quia ipse contradicens Vazq. sic ait, verum etiam simplex apprehensio potest facere relationem rationis: sed relatio rationis est verum, & proprium ens rationis: ergo sibi contradicit Hurtado, sui immemor, dicendo simplicem apprehensionem non facere ens rationis, cum hic dicat facere relationem, quæ est verum ens rationis, in quo consequentiam ab ipso in Vazq. desideratam iterum ego desidero, quæ consequutio, si reperitur, adeo obscura est, ut reperiri non possit, in quo aut peccat culpa contradictionis, aut confusio- nis, & obscuritatis, ex quibus quod sit maius peccatum tu videbis.

Quarta conclusio: probabilissimè potest dici ordinario modo loquendi omnem productionem primam entis rationis non per iudicium, nec per discursum, sed per simplicem apprehensionem fieri, licet etiam sit probabile oppositum; moueor ad primum his argumentis.

Primo, quia ad iudicium, & discursum præsupponitur necessarium simplex apprehensio, ita ut si recte debeamus procedere, & non defectu mendacii, &c. ut diximus, nihil iudicatur per iudicium, negando aut affirmando, nisi quod apprehenditur per simplicem apprehensionem: ergo iudicium iam inuenit factum ens rationis, & solum affirmat (si cum veritate debeat procedere) illud esse, vel negat illud esse, ut concipitur à simplici apprehensione, quod est, aut conservare ens rationis factum à simplici apprehensione, ut quando colorem à sole productum conservat ignis, & non producit, quia iam inuenit factum à sole. Vel est tantum speculativè se habere circa illud obiectum, cum circa idem versentur: ergo unum est conservativum, & aliud productivum; vel unum speculativum, & aliud practicum; frustra enim fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; nihil enim superfluum datur in natura: ergo si simplex apprehensio finxit illud ens rationis, iudicium, quod versatur circa illud, non facit, sed vel conservat solum, vel solum quodammodo speculatur.

Confirmatur; & arguo ex verbis Hurt. contra ipsum. Nam *disph. 20. met. num. 32.* sic ait; verum etiam simplex apprehensio potest facere relationes rationis; quia apprehensio præcedit iudicium de eodem obiecto. Tunc sic, idem nu-
e 2 meto

mero obiectum, quod attingit prius simplex apprehensio, attingit eodem instanti, aut sequenti, vel ut volueris, si eodem instanti posterioritate naturæ; sed simplex apprehensio cognoscens rem aliter ac est, fecit ens rationis: ergo iudicium non facit, quia idem perseverando in suo esse, non bis producit, sed solum conservat factum, ut iam exemplo caloris explicatum est: ergo solum fit primo ordinario modo loquendi ut simplici apprehensione attingat iudicium, ut ait Huius tado.

34 Vergetur; ideo voluntas non facit ens rationis, quia non est de nouo productiva alicuius esse; sed circa iam factum ab intellectu versatur; at qui iudicium versatur circa iam factum à simplici apprehensione: ergo iudicium, sicut voluntas non facit ens rationis: ergo solum conservat, vel consideratiue cognoscit speculatiue quodammodo.

35 Ultima conclusio; omnis actus faciens ens rationis est falsus; quod sic probatur.

36 Actus, qui est difformis suo obiecto, est falsus; sed actus fingens, & faciens ens rationis est difformis obiecto proprio: ergo ille actus est falsus. Maior est evidens, quia in actu, ubi est oppositum veritatis, est falsitas; sed ubi datur difformitas, datur oppositum veritati: ergo actus, ubi datur ad suum obiectum est falsus, in ipsoque datur falsitas. Minor præcipua sic probatur. Actus faciens ens rationis, discordat ab obiecto, quod est à parte rei; sed discordare actum ab obiecto, est esse difformem obiecto: ergo actus fingens ens rationis, cum discordat ab obiecto, erit difformis obiecto. Minor hæc est evidens, nam sunt synonyma actum esse discordem cum obiecto, & esse difformem, sicut peccatoris voluntas, quia discordat à lege, difformis est illi, positiue enim non conformatur positiue representando quod non est in obiecto; & ideo talis cognitio discordans, difformis est obiecto. Maior sic probatur; tunc aliquid discordat ab aliquo, v.g. actus intellectus cum suo obiecto, quando actus representat in obiecto quod non datur in illo, & quod in illo reperitur: sed actus faciens ens rationis v.g. actus efficiens vniuersale formaliter, tribuit naturæ, & cognoscit in illa relationem vniuersalitatis quæ non reperitur in ipsa: ergo actus faciens ens rationis, discordat à suo obiecto. Item actus faciens chimæram tribuit naturis hominis & leonis identitatem, quam inter se non habent, & actus distinguens attributa diuina representat in illis distinctionem, quæ in ipsis non datur respectu diuinitatis: ergo actus faciens ens rationis, discordat à suo obiecto, & non concordat cum illo, quia aliter representat obiectum, ac est in se.

37 Confirmatur; quia actus qui cognoscit Petrum esse lapidem facit ens rationis, siue talis actus sit iudicium, siue simplex apprehensio: sed ille actus est difformis obiecto: ergo ille actus est falsus. Patet consequentia, tum à definitione falsitatis, tum quia actus verus est, qui est conformis obiecto: ergo falsus erit, qui est difformis ipsi; probatur minor, quia tunc actus est difformis obiecto, quando non cognoscit obiectum eo modo, quo est, & cognoscit in illo aliquid quod non est, ac si esset: sed ille actus cognoscit identitatem in Petro cum lapide, quæ non datur in ipso, ac si daretur in eo dem: ergo ille actus difformis est obiecto, etiam si sit simplex apprehensio; nam iudicium in sententia aduersatio-

rum ea ratione est difforme, quia cognoscit rem esse id, quod non est: sed etiam obiectum non est, sicut per illam apprehensionem representatur; representatur enim per illam Petrus ut idem cum lapide: ergo actus ille est difformis obiecto.

Secundo probatur ex eo quod res est, vel non est, cognitio dicitur vera, vel falsa; id est ex eo quod non est obiectum, ut percipitur, & representatur per cognitionem, cognoscit illud representans est falsa; sicut contra est vera: sed cognitio faciens ens rationis non representat rem ut est: sed alio modo, ac est, vel eo modo quo non est: ergo talis cognitio est falsa. Maior est principium evidens, quod latè explicui *trat. de Principiis*, videte ibi. Minor est evidens, nam actus, quo facio ens rationis priuationis in omnium sententia est quo represento priuationem ut qualitatem, & dispositionem, ut vos explicatis; vel in mea sententia, quando concipio carentiam alicuius ubi, non est talis carentia: sed per illum actum non representatur res ut est: ergo. Hæc minor sic patet, quia in hoc actu representatur qualitas, quæ non est realiter qualitas, & carentia ubi non est carentia: ergo representatur aliter ac est obiectum, & quod non est ac si esset: ergo.

Ultimo cum Hurtado sic argumentor; quia ens rationis tantum habet esse obiectiue in intellectu, & non alio modo, v.g. à parte rei: ergo actus, qui facit ens rationis, est falsus: patet consequentia, quia ex parte obiecti non est id, quod actus representat: ut ex parte quantitatis non est quod representatur in hoc actu, quantitas est substantia: ergo talis actus est difformis obiecto: ergo falsus. Prima consequentia est clara, quia actus tribuit obiecto, quod non habet, in quo consistit difformitas. Secunda consequentia est nota, quia ut iam diximus, quando actus est conformis obiecto, est verus, & quando difformis, falsus.

Confirmatur; si obiectum esset, sicut repræsentatur, actus esset verus, & obiectum haberet esse in se distinctum ab esse obiectiue in intellectu, ut ex terminis patet: ergo actus efficiens ens rationis, est falsus, quia obiectum non est in se, sicut per actum intellectus representatur, & ea ratione dicitur ens rationis habere esse obiectiue tantum in intellectu, id est in se non habet illud esse à parte rei, nec ex parte obiecti illud esse, ut est à parte rei, respondet cognitioni, sed in sola cognitione est representatiue; nam si alibi esset, non esset representatiue, tantum in intellectu: hoc totum patebit ex dicendis à nobis in libris de anima, ubi penitus enucleabimus Aristotelis mentem, sicque enucleatum proponam; sensum Diui Thomæ inuestigabo, librabo item pondera, ac latera rationis, quibus dilucidius veritas proposita clarescet.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solentur.

Ad primum concedo maiorem & nego minorem; ad probationem nego absolute maiorem, quia non est, nisi denominatio realis extrinseca cõcedi potest secunda pars, seu explicatio maioris, ubi probatur minor, & potest negari, quia

Quaest. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 37

quia esse cognitum etiam potest considerari per modum qualitatis absolutae, sed deus esse cognitum esse relationem rationis: deinde concedo illam relationem fieri per actum reflexum, nego tamen inde colligi omnem relationem rationis esse reflexionem, nam relatio omnipotentiae, visus, dextri &c. nulla est reflexio.

42 Ad probationem partis secundae nego maiorem; deinde transeat maior, & praeterea negatur, quod omnis relatio seu ens factum per simplicem apprehensionem supponat cognitionem aliam priorem se; sufficit enim, ut cognitio terminetur ad obiectum aliter, ac est in se, ut cognoscat unum ad similitudinem alterius, sine eo quod supponatur cognitio actualis illius obiecti, ad cuius similitudinem cognoscitur & fingitur illud, ut videre est in potentia visiva, quae primo ad speciem, & intuitu fingit colorem caeruleum in montibus, sine eo quod ante talem cognitionem supponatur actualis cognitio veri coloris caerulei, ad cuius similitudinem fingitur ille.

43 Ad secundum patet ex dictis. Ad argumentum Patris Hurt. negamus, particulam illam esse significare affirmationem vel negationem formalem; nam recte concipitur essentia, & existentia rei sine affirmatione, & negatione per simplicem apprehensionem, nam apprehensio simplex, quae concipiunt haeretici non dari tres personas in divinis, aut dari tres Deos, est haeretica & erronea apprehensio, & nihilominus est sine affirmatione, & negatione, & ratio est quia ad hoc, ut erret intellectus, sufficit quod eius cognitio, quaecunque illa sit, cognoscat rem aliter ac est, & falso cognoscat, cum autem nostra simplex apprehensio, quia fallibilis est, cognoscat rem aliter ac est, inde evenit, quod erret circa suum obiectum, licet non sit affirmatio, & negatio, & hoc determinate; unde quando representat rem, sicuti est, determinate per illam scimus sine indifferentia vlla ex vi illius cognitionis ad errandum, licet ex vi alterius possumus errare, quia cum illa cognitio sit naturalis representatio, essentialiter per suam essentiam determinatur ad illud obiectum representandum, ita ut non habeat indifferentiam ad aliud.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Deus cognoscat ens rationis.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

1 **P**ATER Gabriel Vazquez singularis in hac re, tom. 2. in 1. p. q. 28. d. sp. 1. 18. c. 4. his argumentis probat Deum nullo modo cognoscere ens rationis.

Primo quia si Deus cognoscit ens rationis, licet non primarie, sed quia prius factum est ab intellectu creato, reuera format in intellectu suo illud ens rationis, quod cognoscit: sed hoc est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Probatur maior; quia Deus conservat virtute sui intellectus ens illud rationis factum ab intellectu creato: sed conservare aliquid etiam factum seu

productum ab alio, est facere, seu producere illud: ergo intellectus divinus, qui conservat ens rationis factum à creatura facit illud. Maior probatur sic, quia illud esse obiectivum, quod res habent in intellectu Dei, habent ut à causa integra ab ipso intellectu divino, cui obijciuntur: sed habere hoc modo est conservari ab illo: ergo. Maior probatur; quia ad illud esse provt est in intellectu divino, non concurrunt intellectus humanus: ergo Deus est integra, & adaequata causa entis rationis adhuc post formationem ab intellectu creato: sed hoc tam absurdum est, ac si primario formaretur: ergo.

Secundo probatur; quia si Deus nunc cognoscit entia rationis, ab aeterno illa cognovit, cum nihil cognoscat in tempore, quod ab aeterno non cognoverit, alias Deus mutaretur: sed si Deus ab aeterno cognovit ens rationis, sequitur quod Deus fecerit ab aeterno: ergo Deus non cognovit entia rationis. Probatur minor; quia illud ens rationis quod cognovit Deus antequam ab intellectu humano esset fabricatum, cum ab aeterno nulla sit creatura, à qua habeat esse, & nunc illud habeat, necesse est ut sit effectum à Deo, & actu obiectivum in suo intellectu: sed tale esse obiectivum actu pendens ab intellectu divino, non cooperante, & nondum illud operante intellectu creato, nec est à parte rei, nec potest esse à parte rei aliquid reale: ergo est aliquid rationis factum à solo intellectu divino: fieri igitur debent adversarij posse à Deo fingi ens rationis, si semel concedant posse à Deo cognosci.

Neque obstat, quod tale ens rationis idem cognoscatur à Deo, quia potest ab intellectu creato in tempore confingi, quominus dicamus, cum illud cognoscitur à Deo ab aeterno, ab eo tantum confingi; nam cum ab aeterno solus Deus intellectu suo tribuat illi esse obiectivum actu, quod nondum tribuitur ab intellectu creato, solus Deus dicitur illud esse obiectivum ab aeterno effingere.

Tertio fieri ens rationis & formari, nihil aliud est, quam obijci intellectui, vel intelligi: sed divinus intellectus habet illud sibi obiectivum praesens: ergo facit illud, & format scilicet, non primario, sed occasione nostri intellectus.

Quarto quia impossibile est, quod intellectui divino obijciatur animal rationale, provt in intellectu humano sunt distincta talia praedicata: ergo divinus intellectus non potest illa apprehendere provt distincta sunt & relata consequentia est nota, quia nullus intellectus intelligit nisi quod sibi obiectivum representatur. Antecedens vero sic probatur, conceptus obiectivus nostri intellectus ut sic formaliter pendet à formali nostro conceptu, ita ut à nullo alio ut sic possit representari: sed conceptus formalis quo animal, & rationale distinguuntur, & referuntur, non potest Deo convenire propter suam imperfectionem: ergo conceptus obiectivus animalis & rationis, qui apud humanum intellectum sunt distincti, & relati, non possunt ut ita distincti representari intellectui divino: ergo divinus intellectus nequit cognoscere ens rationis, quod est distinctio illa inter animal, & rationale.

Secunda sententia asserit, Deum non cognoscere entia rationis immediate, & directe: sed tantum ut cognoscibilia ab imperfecto intellectu